



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae, 1611

De lætitia bonæ conscientiaë, quæ nascitur ex pœnitentia. Cap. 19.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45624

propterea relinquere amicos carnales propter me: Ego enim non solum communico cum veris pœnitentibus omnia alia bona, sed etiam dulcissima solatia mea cū quibus nulla consolatio mūdi cōparabilis est. Dilata os tuum, fili, & implebo illud, si reuertaris ad me, Ego honorificabo, ditabo, & consolabor te, sicut mater amantissima solatur vnigenitum filium suum.

De lætitia bona conscientia, quæ nascitur ex pœnitentia.

CAP. XIX.

INcomparabilis est lætitia, quam generat vera pœnitentia, fili charissime, sicut nouerunt fideles amici mei: qui vidētes se esse translatos de morte ad vitam, ex reatu æternæ flammæ, ad ius hæreditatis æternæ; ex seruitute Pharaonis ad ciuitatem Ierusalem, quam dilexi, non satiātur Hymnis, & Canticis spiritualibus, quibus cantant dulcissimas misericordias meas, & dilectissimam redemptionem suam. Certè sicut corpus, quando conualescit à morbo, lætatur valde, quia à malis humoribus, & à periculo mortis liberatum est; ita, & anima, quando iustifica-

tus

etur per poenitentiam, exhilaratur intima
lætitia, quia à pessimis vitiorum humo-
ribus, & ab instante morte sempiterna e-
repta est. Si autem scire desideras, fili,
qualis sit lætitia illa, scito per scientiam,
aut eloquentiam humanam esse ineffa-
bilem & inexplicabilem ijs, qui eam non
gustarunt, quamuis vanis lætitijs sæculi
seipsum tradiderint. Nam lætitia mundi
est in superficie hominis transeuntia bo-
na quærentis: Lætitia verò bonæ consci-
entiæ, quam poenitentia, & reconciliatio
mea producit, est lætitia intima, quæ pe-
netrat ossa, & medullas, inæstimabili cõ-
solatione mea. Cor enim iusti, postquam
à vitijs recessit, & ad me fortiter conuer-
sum est, expanditur, & Spiritus sancti mei
motibus mouetur ad spem futuræ beati-
tudinis, quæ est sicut Anchora animæ
firmissimè confidentis, se peruenturam
ad infinita solatia mea. Loquor ego ad
cor iusti secretis sermonibus, quos nemo
Principum huius sæculi cognouit, & a-
mantissimè dico: lætare, fili dulcissime,
& iacta super me cogitatum tuum. Ego
enutriam te, & deducam per vias re-
ctas iustitiæ meæ. Ego ero tibi in patrem,
& tu eris deinceps mihi in charissimum
filium: daboque tibi hereditatem, cum

qua omnia regna mundi comparari non
possint. Esto fidelis vsque ad mortem, &
accipies coronam vitæ in platea supernæ
ciuitatis meæ, vbi posui delicias meas. Ne
deficias in tribulatione, quia ego tecum
sum vt liberem te; vt post labores Vitæ
mortalis constituam te super excelsam
terram, vbi comedas fructus amænissimi
paradisi mei. Hæc & similia verba loquor
ego ad cor Iusti, qui detestatus gaudia
mundi, reuertitur, quasi ceruus à vænato-
ribus percussus, ad me fontem viuum, &
verum refrigerium suum. Si ergo tanta
est lætitia bonæ conscientie, per quam
ego in illo suauissimos sermones meos,
quid est, fili, quod durum tibi videtur,
conuerti ad me? cur non consideras grā-
de bonum hoc, quo cares, quam diu cares
gratia, & amicitia mea? Vsquequò aggra-
uabis cor tuum, sicut aggrauauit Aegyptus
nolens conuerti ad magnitudinem inspi-
rationum, & prodigiorum meorum? Re-
uertere iam, fili mi, à via, per quam erra-
sti, sicut ouis, quæ perijt, & voca multis
gemitibus pastorem tuum. Et ego bene-
faciendi, & miserendi cupidissimus exau-
diam te, & introducam te ad pascua vber-
rima interni solatij mei. Tunc afflues, &
mirabitur, & dilatabitur cor tuum, & co-
gnosces

gnosces tanti boni magnitudinem perseverabis in intima conuersione tua, & in pretiosissima gratia mea.

De consideratione patientiæ Dei expectantis hominem ad poenitentiam.

CAP. XX.

Multa sunt, & admirabilia beneficia mea, fili charissime, quæ te ad compunctionem mouere, & interioribus flammis urere deberent! Sed considera saltē unum ex illis, quod est quotidianum argumentum infinitæ bonitatis, & misericordiæ meæ. Ego sustento te, tribuens tibi vitam, & inspirationem, & omnia bona, quæ habes: omne quippe bonum à me descendit. Ego mitto tibi multas inspirationes, quasi nuntios meos inuitantes te ad pacem, & vitam, qua nihil amabilius est. Ego moueo impulsibus spiritus mei interiora tua etiã dum peccas, & repugnas dulcissimæ legi meæ. Ego præseruo te peccantem à maioribus malis, præsertim ab extremo malo æterni supplicij, quod mereris. Quomodo ergo resistis tantæ benignitati? Quomodo non mouet cor lapideum tuum infinita mansuetudo mea? An ignoras, quod patientia mea ad